

**Wilfried Stroh (Valahfridus):**  
**De immortalitate linguae Latinae**  
 Orationis summarium,  
 Moscouiae d. 9 m. Nou. MMXIII

Hoc anno oratio Latina hominum animos in toto orbe terrarum commouit:

**1. *Benedicti XVI. Papae Valedictio, 10.2.2013***

Fratres carissimi, non solum propter tres canonizationes ad hoc Consistorium uos conuocauit, sed etiam ut uobis decisionem magni momenti pro Ecclesiae uita communicem. Conscientia mea iterum atque iterum coram Deo explorata ad cognitionem certam perueni uires meas ingraescente aetate non iam aptas esse ad munus Petrinum aequae administrandum.

Cur Latine locutus est, quod ne cardinales plurimi quidem intellexerunt? Ipse antea responderat:

**2. *Litterae Apostolicae Motu Proprio datae: De Pontificia Academia Latinitatis condenda, 10.11.2012***

Latina Lingua permagni ab Ecclesia Catholica Romanisque Pontificibus usque est aestimata, quandoquidem ipsorum propria habita est lingua, qui eandem cognoscendam et diffundendam assidue curauerunt [...]. Enimvero inde a Pentecoste omnibus hominum linguis locuta et precata est Ecclesia. Attamen christianae communitates primorum saeculorum linguam Graecam Latinamque affatim usurpauerunt, cum illis locis in quibus morabantur uniuersalia essent communicationis instrumenta [...]. Romano Imperio occidentali exstincto, Romana Ecclesia non modo lingua Latina uti perrexit, uerum etiam quodammodo custos eiusdem et faultrix fuit [...]. In hac praeterea lingua, ut uniuersalis Ecclesiae natura pateat, typica forma sunt scripti liturgici libri Romani Ritus, praestantiora Magisterii pontificii Documenta [...].

Quod autem contra dicunt linguam Latinam minus adhibendam esse, quia mortua sit, ueritatem obscurat. Nam mors huius linguae immortalitas quaedam putanda est.

De uerbi immortalitatis duplici aut triplici sensu: immortalia sunt (1) quae non esse non queunt (ut anima Platonica), (2) quae genita tamen non moriuntur (ut di pagani), (3) translate: opera quaedam artis. Classi secundae (2) lingua Latina ascribenda, non inter terrena habenda:

**3. *Apuleius, De Mundo 24***

Terrena omnia mutationes et conversiones, postremo interitus habent.

Veneri similis semel genita in aeternum suam formam seruat nec nec senescens nec moriens. Arminius, abhinc II milia annorum liberator Germaniae, si nunc ex Orco rediuius cum suis ciuibus loqui uelit, Germanice id fieri non possit propter mutationes linguae, sed Latine – quod ille didicit.

**4. *Tacitus, Annales 2,10***

Arminius [...] pleraque Latino sermone interiaciebat, ut qui Romanis in castris ductor popularium meruisset.

Immortalitatem linguae suae iam quodammodo ueteres poetae senserunt. Paulo obscurius ...

**5. *Ennius, var. 17 sq. V.***

Nemo me lacrimis decoret nec funera fletu  
 faxit. Cur? Volito uiuos per ora uirum.

Apertius uno saeculo postea aeternitatem Allio promittit ...

**6. *Catullus 68 (B), 41-46***

Non possum reticere, deae, qua me Allius in re  
 iuuerit aut quantis iuuerit officiis,  
 ne fugiens saeculis obliuiscens aetas  
 illius hoc caeca nocte tegat studium:  
 sed dicam uobis, uos porro dicite multis  
 milibus et facite haec carta loquatur anus.

Et idem Lollio Horatius ...

**7. Horatius, Carmina 4,9,30-34**

Non ego te meis / chartis inornatum silebo / totue tuos patiar labores  
impune, Lolli, carpere liuidas / obliuiones.

Horatius tamen loco notissimo uim uerborum eo minuit quod aeternitatem carminum cum imperii diuturnitate coniungit. Similiter Vergilius et Ouidius, qui sua carmina semper lectum iri intra fines imperii sperat:

**8. Horatius, Carmina 3,30,6-9**

Non omnis moriar multaue pars mei  
uitabit Libitinam; usque ego postera  
crescam laude recens, dum Capitolium  
scandet cum tacita uirgine pontifex.

**9. Vergilius, Aeneis 9,446-449**

Fortunati ambo! si quid mea carmina possunt,  
nulla dies umquam memori uos eximet aeuo,  
dum domus Aeneae Capitoli immobile saxum  
accolet imperiumque pater Romanus habebit.

**10. Ouidius, Metamorphoses 15,877-879**

... quaque patet domitis Romana potentia terris,  
ore legar populi perque omnia saecula fama,  
si quid habent ueri uatum praesagia, uiuam.

Fierine potuit ut illa carmina immortalia essent, si lingua Latina mortalis fuisset, mutaretur, interiret quoque? Vnde non mirum est eo ipso tempore, quo illa de immortalitate carminum poetae senserunt, linguam ipsam in statu suo quasi constitisse nec progressiones fecisse. Quod facile cognoscitur, si Plautum cum Cicerone, Ciceronem autem cum Seneca aut Hieronymo compares. Ergo eo fere tempore, quo Christus natus est, Latina lingua aut mortem aut, quod uerius est, immortalitatem adeptam est. Nam nisi hoc modo uiuere destitisset, perpetuam uitam sortita non esset.

Sed quomodo id factum? E consilio quodam scriptorum aut grammaticorum? Minime, puto. Fuit admiratio operum maximorum ingeniorum ut Ciceronis et Vergilii, quae effecit, ut eorum linguam tacito quodam sensu uiri docti mutare nollent. Notandum est quid Seneca de Cicerone, Statius de Vergilio iudicauerit.

**11. Seneca, Controversiae 1 praef. 6-7**

deinde, ut possitis aestimare, in quantum cotidie ingenia decrescant et nescio qua iniquitate naturae eloquentia se retro tulerit, quidquid Romana facundia habet, quod insolenti Graeciae aut opponat aut praeferat, circa Ciceronem effloruit; omnia ingenia, quae lucem studiis nostris attulerunt, tunc nata sunt. in deterius deinde cotidie data res est.

**12. Statius, Thebais 12,810-817**

durabisne procul dominoque legere superstes,  
o mihi bisenos multum uigilata per annos  
Thebai? [...]  
uiue, precor; nec tu diuinam Aeneida tempta,  
sed longe sequere et uestigia semper adora.

Doctiores igitur leges ab ipsis auctoribus latas diligenter respiciebant; non item indocti: unde nata est illa quae dicitur Latinitas uulgaris:

**13. CIL IV 5092**

Amoris ignes si sentires, mulio,  
magi(s) properares, ut uideres Vēnerem.

Talia fieri uetabant grammatici.

**14. Augustinus, *De musica* 2,1**

[...] cum dixeris *cano* [...] ita ut [...] producas huius uerbi syllabam primam [...], reprehendet grammaticus, custos ille uidelicet historiae, nihil aliud asserens cur hanc corripere oporteat, nisi quod hi, qui ante nos fuerunt et quorum libri extant tractanturque a grammaticis, ea correpta non producta usi fuerint.

Pessime factum est quod a saeculo VI ad saec. VIII omnis in Europa institutio grammatica periit. Ne clerici quidem multi satis Latine sciebant.

**15. Zacharias Papa ad Bonifatium 1.7.746 (*MGH Epistulae selectae* I n. 68, p.141)**

Retulerunt quippe, quod fuerit in eadem provincia sacerdos, qui Latinam linguam penitus ignorabat et, dum baptizaret, nesciens Latini eloquii infringens linguam diceret: „Baptizo te in nomine patria et filia et spiritus sancti.“ Ac per hoc tua reuerenda fraternitas considerauit rebaptizare.

Sic linguae Romanicae natae sunt Latinusque sermo in summum discrimen adductus. Denuo tamen uiguit grammatica Carolo Magno iubente. Quo tamen ipsa natura linguae funditus mutata est. Quae ante a matre disci potuerat, tunc e solis libris hauriebatur. Tamen effloruerunt litterae Latinae. Grammaticis studebant et e ueteribus poetis eloquentiae ligatae praecepta petebant. Sic tempore Caroli:

**16. Theodulfus Aurelianensis: *De libris quos legere solebam* 17-22**

Et modo Pompeium, modo te, Donate, legebam,  
Et modo Virgilium, te modo, Naso loquax.  
In quorum dictis quamquam sint friuola multa,  
Plurima sub falso tegmine uera latent.  
Falsa poetarum stilus affert, uera sophorum,  
Falsa horum in uerum uertere saepe solent.

Exeunte medio aeuo tamen scholastica quaedam lingua percrebruit, ab elegantia ualde remota:

**17. Thomas Aquinas: *Summa contra gentiles* 1,8**

Humana igitur ratio ad cognoscendum fidei ueritatem, quae solum uidentibus diuinam substantiam potest esse notissima, ita se habet, quod ad eam potest aliquis uerisimilitudines colligere.

Quanto melior idem Thomas in carmine!

**18. Thomas Aquinas: *Ex hymno in Corpus Christi***

Pange, lingua, gloriosi corporis mysterium  
sanguinisque pretiosi, quem in mundi pretium  
fructus uentris generosi rex effudit Gentium.  
[...]  
Tantum ergo Sacramentum ueneremur cernui,  
et antiquum documentum nouo cedat ritui:  
praestet fides supplementum sensuum defectui.

Non sane metricus est hic hymnus, sed rhythmicus – habet tamen suam gratiam. Eloquentiam Ciceronis denuo affectabant uiri docti, qui fuerunt aetate renascentium litterarum. Quorum princeps Petrarca erat.

**19. Franciscus Petrarca, *Epistolae seniles* 16,1**

Ab ipsa pueritia libris Ciceronis incubui [...] Nihil intellegere poteram, sola me uerborum dulcedo quaedam et sonoritas detinebat.

Latinam linguam tum ardentissime laudauit Valla.

**20. Laurentius Valla, *Elegantiarum linguae Latinae* l.VI, praef.**

Illud (sc. imperium) pridem tamquam ingratum onus gentes nationesque abiecerunt: hunc (sc. sermonem) omni nectare suauiore, omni serico splendidiore, omni auro gemmaeque pretiosiore putauerunt et quasi Deum quendam e coelo demissum apud se retinuerunt. Magnum ergo Latini sermonis sacramentum est, magnum profecto numen [...]: Amisimus Romam, amisimus regnum, amisimus dominatum, tametsi non nostra, sed temporum culpa: uerumtamen per hunc splendidiorem dominatum in magna adhuc orbis parte regnamus. Nostra est Italia, nostra Gallia, nostra Hispania,

Germania, Pannonia, Dalmatia, Illyricum, multaeque aliae nationes. Ibi namque Romanum imperium est, ubicumque Romana lingua dominatur.

Sed cum quidam nimis diligenter ac meticolose optimos auctores imitarentur, extiterunt tum primum qui Latinae linguae ut mortuae detraherent. Contra dixit Muretus

**21. Antonius Muretus, ex oratione 20 (1583)**

Aiunt Graecam Latinamque linguam iam pridem mortuas esse. Ego uero eas nunc demum non tantum uiuere et uigere contendo, sed, si in tralatione perstandum est, firma ualetudine uti, postquam esse in potestate plebis desierunt. Quamdiu enim populari imperio regebantur [...], assidue agitabantur, fluctuabant, nihil habebant certum, nihil stabile, unum saeculum eodem uultu durare non poterant. Nunc, ex quo ad optimates, ut ita dicam, redactae sunt et certis a scriptoribus petuntur, certis regulis ac praeceptionibus continentur, multis iam saeculis fixae atque immutabiles permanent [...]: non uiuunt tantum, sed immortalitatem quodammodo [...] adeptae sunt.

Alius nimio puritatis studio linguam e consuetudine loquendi eximere, scriptis reseruare uoluit.

**22. Franciscus Sanctius: Minerua sive de causis linguae Latinae (1587) IV 17**

At ego [...] nihil pestilentius posse iuueni linguae Latinae cupido euenire, quam aut uerbis Latinis effutire cogitata aut loquentium profluentiae interesse. [...] Non discimus Hebraea uel Graeca ut loquamur, sed ut docti efficiamur. Quare igitur in Latinis non idem efficiemus? Quandoquidem iam nulla natio est, quae Latine aut Graece loquatur. Stylus exercendus est diligenter [...]. Qui Latine garriunt, corrumpunt ipsam Latinitatem.

Humanus iudicauit educatorum princeps:

**23. Johannes Amos Comenius: Novissima linguarum methodus (1648) 7,23**

Discamus primo Latine balbutire, tum loqui; tandem Ciceronem, ut nobis dicendi quoque commonstret artificia, adibimus.

Aliis de causis usus linguae Latinae saec. XVII paulatim deminutus, saec. XVIII etiam intra uniuersitates paene extinctus est, non quo ea temporibus recentibus non sufficeret, sed quod uiri docti magis suos ciues, etiam minus eruditos, docere uolebant quam cum doctissimo quoque in re publica litteraria communicare. Scholae tamen disciplinam Latinam etiam saec. XIX retinebant.

Aduersabantur sui saeculi moribus Latinamque linguam in pristinam dignitatem restituere conabantur ei qui *Latinitatis vivae* titulo insigniri solent. Quorum princeps fuisse uideri potest Carolus Henricus Ulrichs, iuris peritus Germanicus, qui a. 1889 edere coepit *Alaudas*, quas sic inscripsit:

**24. K.H. Ulrichs: *Alaudae 1889, ed. I:***

Hae paginae bis mense in lucem prodeunt, paruis dedicatae studiis paruisque camoenis.

Ad meas Alaudas.

Quid, meae, quid, parua cohors, alaudae,

Vultis aut cur sic agitatis alas?

Spernitis nidum? Cupitis secare

Aera pennis?

Sic ratum. Iamiam licet. Euolate [...]

Inde ab ed. V hac sententia superscripta:

Linguae Latinae mira quaedam uis inest ad iungendas nationes.

Quem multi usque ad haec tempora secuti sunt. Multi etiam Latina carmina pangunt, plurimi libros uernaculo sermone conditos in linguam Romanorum conuertunt. Nec tamen ab his conatibus nostris immortalitas linguae Latinae pendet, sed e sua natura et dignitate. Quae nostris linguis scribimus, cum eis peribunt: Latina, si digna sunt, manebunt.